

Karl VI., Heiliges Römisches Reich, Kaiser Philipp V., Spanien, König

**Tractatus Pacis Inter Suam Cæsaream & Catholicam Majestatem, Carolum VI. Et
Inter Suam Regiam Catholicam Majestatem Philippum V. Conclusus Viennæ
trigesimâ Aprilis, 1725**

Viennæ: Typis Joannis Petri Van Ghelen, [1725]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn884412121>

Druck Freier  Zugang



1725.

B
81.2

Ab_ 6638^{1.2.}

~~Fi - 10²⁷ - 1 - 2~~

Fi

TRACTATUS
Pacis

Inter Suam Cæsaream & Catholicam
Majestatem,

CAROLUM VI.

ET
Inter Suam Regiam Catholicam
Majestatem

PHILIPPUM V.

Conclusus Viennæ trigesimâ Aprilis,
1725.



VIENNÆ,

Typis JOANNIS PETRI VAN GHELEN, Sac. Cæs. Regiæque
Majestatis Aulae Typographi.

CUM PRIVILEGIO MAJESTATIS SUÆ.

241

TRACTATUS

Pacis

Inter Suam Caesarem & Catholicam
Majestatem


CAROLUM VI.

Et
Inter Suam Regiam Catholicam
Majestatem

PHILIPPUM V.

Conclusus Viennae trigesima Aprilis


1725



VIENNAE

Typis JOHANNIS PETRI VAN GHILLEN, Sac. Caes. Regie
Majestatis Aulic Typographi.

CUM PRIVILEGIO MAJESTATIS SUE.



*In Nomine Sacro-Sanctæ & Individuæ
Trinitatis. Amen.*

Notum fit universis & singulis, quorum interest, aut quomodocunque interesse potest.

Postquam sub finem Anni Millefimi Septingentesimi, quo Rex Hispaniarum & Indiarum Catholicus CAROLUS Secundus, Inclytæ Memorix, improlis è vita decessit, cruentum, diuturnumque Bellum super Successione in ejusdem Regna, inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum LEOPOLDUM, Romanorum Imperatorem, Hungariæ, Bohemiæque Regem, Archi-Ducem Austriæ, &c. Pientissimæ recordationis ex una: & inter Serenissimum ac Potentissimum Principem Dominum PHILIPPUM V. Hispaniarum & Indiarum Regem Catholicum, in assistentia Serenissimi & Potentissimi Principis Domini LUDO-

vici XIV. Galliarum Regis, ex altera parte exortum est, cui subinde Sacrum Romanum Imperium, Serenissimus quoque & Potentissimus Magnæ Britannix Rex GUILIELMUS, Ejusque in Regno Successor Serenissima & Potentissima Domina ANNA, Celsique ac Præpotentes Status Generales Fœderati Belgii, Socii accesserunt: Pace verò Anno 1713. Trajecti ad Rhenum inter Istos factâ, Bellum, quod tunc inter Serenissimum & Potentissimum Principem Dominum CAROLUM, Romanorum Imperatorem hujus Nominis Sextum, ac Imperium ex una, ac altesatum Galliarum Regem ex altera parte adhuc perdurabat, per subsequutam Anno 1714. Pacem Badensem quoque deletum: Tandem & illi Bel-lorum motus, qui altesatam inter Suam Majestatem Cæsaream Catholicam, & Regem Hispaniarum Catho-licum

licum PHILIPPUM V. adhuc fervebant, per Accessionem ad Tractatum Londini Die ^{2. Aug. St. n.} ^{22. Julii St. v.} 1718. initum, acceptationemque Conditionum utriusque eorum, prout & Regi Sardiniae in eo propositarum felici quoque Numine sedati fuerunt, certis Articulis inter eos adhucdum controversis ad particularem Congressum subinde in Urbe Cameraci institutum remissis, sub Amicis Mediatoriis Officiis Serenissimi & Potentissimi Regis Galliarum LUDOVICI XV. ac Serenissimi & Potentissimi Regis Magnae Britanniae GEORGII definiendis. Quo quidem in loco per Plenipotentiarios ab omnibus Partibus eò missos sub praefata Mediatione à triennio abhinc operosè quidem, verùm ob varia impedimenta, absque fructu expectato allaboratum fuit, quod ipsum, cùm & spes nulla felicioris in futurum successus affulgeret, in causa erat, quòd Serenissimus Hispaniarum Rex Catholicus consilium ceperit, dicta adhuc controversa Puncta cum Sua Majestate Caesarea & Catholica in ipsa Urbe Viennensi per Ministros utrinque ad id opus cum plena potestate munitos amicè definiendi: ad quod Sua Majestas Caesarea Catholica Celsissimum Principem ac Dominum Eugenium Sabaudiae & Pedemontium Principem, altestate Suae Majestatis Caesareae Catholicae Consiliarium actualem Intimum, Consilii Aulico-Bellici Praesidem, suumque Locumtenentem Generalem, Sacri Romani Imperii Campi Mareschallum, ac Ejusdem Statuum per Italiam Vicarium Generalem, Au-

rei Velleris Equitem: nec non Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Philippum Ludovicum Sacri Romani Imperii Thesaurarium Haereditarium Comitem à Sinzendorff, Liberum Baronem in Ernstbrunn, Dominum Dynastiarum Gföll, Superioris Seloviz, Porliz, Sabor, Mülzig, Loos, Zaan, & Droskau, Burggravium in Reineck, Supremum Haereditarium Scutiferum ac Praecisorem in Superiori & Inferiori Austria, Haereditarium Pincernam in Austria ad Anasum, Aurei Velleris Equitem, Sacrae Caesareae Catholicae Majestatis Camerarium, actualem Consiliarium Intimum, ac Primum Aulae Cancellarium: ac Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Gundaccarum Thomam Sacri Romani Imperii Comitem de Starhenberg, in Schaumburg & Waxenberg, Dominum Ditionum Eschelberg, Liechtenhaag, Rottenegg, Freystatt, Haus, Oberwalsee, Senftenberg, Bottendorff, Hatwan, Aurei Velleris Equitem, Sacrae Caesareae Catholicae Majestatis Consiliarium Intimum actualem, Archiducatus Austriae Superioris & Inferioris Mareschallum Haereditarium: Sua Majestas verò Regia Catholica Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Joannem Guilielmum Baronem de Ripperda, Dominum de Jensema, Engelenburgh, Poelgeest, Koudekente, & Ferwert, Judicem Haereditarium de Humsterlant & Campen, nominavère. Qui habitis inter se colloquiis tandem in sequentes Articulos, & Conditiones convenère, commutatis priùs Plenipotentiiis.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Pax sit Christiana, universalis, perpetua, veraque amicitia inter suam Cæsaream Catholicam Majestatem, & inter Regis Hispaniarum Catholicam Majestatem, utriusque eorundem Hæredes, & Successores, Regna Hæreditaria, horum Subditos, & Provincias, eaque ita sincerè fervetur, & colatur, ut utraque Pars alterius utilitatem, honorem, & commodum promoveat, damna verò, & injurias avertat.

Art. I I.

Basis, & Fundamentum, Regula, ac Norma istius Pacis est, & sit Tractatus Londinensis de die ^{2. Aug. R. n.} _{22. Julii R. v.} Anni 1718., propositæque in eo Pacis conditiones, à Sua Majestate Cæsarea Catholica eadem ipsâ die, à Rege Catholico verò Madriti 20. Januarii, & die 17. Februarii Anno 1720. Hæc-Comitum approbatæ, & in vim Pædi perpetui mutuo acceptatæ, vigore quarum præfatus Rex ad reparanda ea, quæ contra Pacem Badensem die 7. Septembris 1714. conclusam, prout & contra Neutralitatem per Tractatum die 14. Martii 1713. pro Italia stabilitam turbata fuerunt, actu restituit Sux Majestati Cæsareæ Insulam & Regnum Sardinia in eo statu, quo erat tunc, cum illud occupavit: Renuntiavitque Sux Majestati Cæsareæ omnia Jura, Prætensiones, Rationes, & Actiones in dictum Regnum, ita, ut Sua Majestas Cæsarea de illo ceu de re sua plenè libereque ad eum modum, juxta quem Amore boni publici fecit, disposuerit.

Art. I I I.

Quandoquidem unica, quæ excogitari potuit, ratio ad constituendum duraturum in Europa æquilibrium ea visa fuerit, ut pro regula statuatur, nè Regna Gallia & Hispania, ullo unquam tempore in unam eandemque Personam, nec in unam

eandemque Lineam coalescere, uniri que possent, istæque duæ Monarchia perpetuis futuris temporibus separatæ remanerent, atque ad obfirmendam hanc Regulam, tranquillitati publicæ aded necessariam, ii Principes, quibus Nativitatis prærogativa jus in utroque Regno Succedendi tribuere poterat, uni è duobus pro se, totaque sua Posteritate solenniter renuntiaverint, aded ut ista utriusque Monarchia Separatio in Legem fundamentalem abièrit in Comitiiis Generalibus vulgò *Las Cortes*, Madriti die 9. Mensis Novembris 1712. receptam, & per Tractatus Trajectenses die 11. Aprilis 1713. consolidatam, Sua Majestas Cæsarea Legi aded necessariæ & salutari ultimum complementum datura, atque omnem sinistra suspensionis ansam tollere, tranquillitæque Publicæ consulere volens, acceptat, & consentit in ea, quæ in Tractatu Trajectensi super Jure, & Ordine Successionis in Regna Francia, & Hispania acta, sancita, & transacta fuerunt, renuntiatque tam pro se, quam pro suis Hæredibus, Descendentibus, & Successoribus Maribus & Fœminis, omnibus Juribus, omnibusque in universum Prætensionibus quibuscunque, nullâ penitus exceptâ, in quæcunque Regna, Ditiones, & Provincias Monarchia Hispanica, quarum Rex Catholicus per Tractatus Trajectenses agnitus fuit Legitimus Possessor, prout jam solennes desuper Renunciationis actus in omni meliore forma expediri, eosque publicari, & in acta loco congruo referri curavit, ac super his Instrumenta solita Sux Majestati Catholica, Partibusque Compaciscentibus actu jam extradidit.

Art. I V.

In vim dictæ Renunciationis, quam Sua Majestas Cæsarea amore Universæ Europæ Securitatis, habitâ quoque eâ ratione, fecit, quod Dominus Dux Aurelianensis, Juribus, & Rationibus suis in Regnum Hispania pro se & pro suis Descendentibus, sub ea Conditione renunciaverit, nè Imperator, aut ullus ejusdem Descendentium

in dicto Regno succedere unquam posset, Sua Majestas Cæsarea Catholica agnoscit Regem Philippum V. Legitimum Hispaniarum & Indiarum Regem, sine præterea eundem, ejusque Descendentes, Hæredes & Successores, Masculos & Fœminas, pacificè frui cunctis iis Ditionibus Monarchiæ Hispanicæ in Europa, in Indiis, & alibi, quarum possessio ipsi per Tractatus Trajectenses asserta fuit, neque eum in dicta possessione directè vel indirectè turbabit unquam, aut ullum Jus in dicta Regna, & Provincias sibi sumet.

Art. V.

Pro Renuntiatione, atque Agnitione à Sua Majestate Cæsarea in præcedentibus duobus Articulis facta, Rex Catholicus vicissim renuntiat, tam suo, quàm Suorum Hæredum, Descendentium, & Successorum Marium & Fœminarum Nomine, Sux Majestati Cæsareæ, ejusque Successoribus, Hæredibus, & Descendentibus Masculis & Fœminis, cuncta jura, ac rationes quascunque, nullâ penitus exceptâ, in omnia & quælibet Regna, Provincias & Ditiones, quæ vel quas Sua Majestas Cæsarea in Italia, vel in Belgio actu possidet, eique vigore Tractatus Londinensis obveniunt, abdicatque se universim omnibus Juribus, Regnis, & Provinciis, quæ olim ad Monarchiam Hispanicam sive in Belgio, sive in Italia pertinuerunt, quas inter Marchionatus Finalienis à Sua Majestate Cæsarea Republicæ Genuensi Anno 1713. cessus, disertè quoque comprehensus intelligatur, super quo solennes Renuntiationis actus in omni meliore forma jam expediti, eosque publicari, & loco congruo in acta referri actu curavit, ac super his Instrumenta consueta Sux Majestati Cæsareæ, & Partibus compaciscentibus extradidit. Sua Majestas Catholica renuntiat pariter Juri reversionis ad Coronam Hispaniæ sibi super Regno Sicilia reservato, omnibusque aliis actionibus, & prætensionibus, quarum prætextu Suam Majestatem Cæsaream, ejus Hæredes, & Suc-

cessores, directè, vel indirectè tam in supradictis Regnis, & Provinciis, quàm in cunctis aliis Ditionibus, quas actu in Belgio, & Italia, vel ubicunque alibi possidet, turbare posset.

Art. VI.

Sua Majestas Cæsarea in contemplationem Serenissimæ Hispaniarum Reginæ consentit jam sub reservato Imperii consensu, eoque subindè obtento iterum consentit, ut, si quando Ducatum Hetruriæ, prout & Ducatus Parmæ & Placentiæ, cetera agnita à Partibus compaciscentibus in Tractatu Londinensi indubitata Imperii Feuda Masculina, ex deficientia Sexus Masculini vacare unquam, atque Imperatori & Imperio aperiri contingeret, in iis Filius præfatæ Reginæ Primogenitus, hujusque Descendentes Masculi ex Legitimo Matrimonio nati: iisque æfficientibus, secundo alique Post-geniti ejusdem Reginæ Filii pariter cum eorum Posteris Masculis ex Legitimo Matrimonio natis jure perpetuo Primogenituræ juxta leges, ac consuetudines Imperii Feudales in dictis Ducatibus, ac Terris ad eos in Hetruria pertinentibus succedant. In cujus rei securitatem Sua Majestas Cæsarea præfatis Principibus promissas Literas Expectativas Eventualem Investituram continentes stilo solito actutum expediti, Regique Catholico tradi curavit: Id tamen citra ullum damnum, aut præjudicium eorum Principum, qui dictos Ducatus in præsens obtinent, salvæque illorum per omnia quietâ possessione.

Placuit tamen Oppidum Liburni in perpetuum esse, & deinceps permanere debere Portum Liberum, eo planè modo, quo nunc est.

Adpromittit insuper, obligatque sese Rex Catholicus, quòd Oppidum Portus Longi unà cum ea parte Insulæ Ilvæ, quam in ea tenet, præfato Principi, suo & Reginæ Filio cedet, tradetque, quamprimum iste tempore & ordine debito, ad actualem Hetruriæ Ducatus possessionem pertingat.

Abdi-

Abdicatque à se, suisque Successoribus Hispaniarum Regibus facultatem omnem, ex præfatis Ducatibus quidquam sibi afferendi, acquirendi, aut unquam possidendi: quin nec Tutelam Principis, cui isti Ducatus obvenient, suscipiendi, aut quocumque tempore gerendi.

Imperator, & Rex Hispaniarum spondent, bonâ fide se religioseque observaturos, quæ in Fœdere Londinensi de non introducendo in dictos Ducatus, viventibus modernis eorum Possessoribus, proprio aut conductio militè acta sunt, ita tamen, ut si quando casus aperturæ unius vel alterius Ducatus eveniat, Princeps Infans Don Carlos secundum Literas Investituræ Eventualis ejusdem possessionem apprehendere possit.

Art. VII.

Sua Majestas Catholica renunciat pro se, suisque in Regno Successoribus, & Hæredibus, Posteris item suis utriusque sexûs in perpetuum Juri reversionis Regni Siciliae ad Coronam Hispaniæ, in Instrumento Cessionis de 10. Junii Anni 1713. erga Regem Sardiniae sibi reservato, Literasque, ut vocant, Reversales desuper confectas Suae Majestati Cæsareæ unâ cum Instrumento Ratificationis istius Tractatus bonâ fide extradet: salvo tamen Reversionis Jure in Insulam & Regnum Sardiniae juxta Art. II. Conventionum inter Imperatorem, & Regem Sardiniae sibi competente.

Art. VIII.

Imperator, & Rex Catholicus spondent, mutuoque se obstringunt ad Defensionem, seu Guarantiam reciprocam omnium Regnorum, & Provinciarum, quæ, vel quas actu possident, aut quorum, quarumve possessio ad Illos vigore Tractatus Londinensis per hoc Pacis Instrumentum confirmata jam pervenit.

Art. IX.

Sit utrinque perpetua oblivio, amnestia,

& generalis abolitio omnium eorum, quæ ab initio Belli moti verbis, scriptis vel factis ab utriusque Subditis clam vel palam, directè seu indirectè, gesta, aut patrata fuerunt; Gaudeantque istâ generali Amnestiâ, & Abolitione omnes & singuli utrinque Subditi cujuscunque Status, Dignitatis, Gradus, Conditionis, aut Sexûs sint, tam Ecclesiastici, quàm Militares, Politici, & Civiles, qui durante Bello Partes unius aut alterius Principis secuti sunt, vigore cujus universis & singulis permissum, & licitum sit, recipere plenariam Possessionem, & usum fructum suorum Bonorum, Jurium, Privilegiorum, Honorum, Dignitatum, & Immunitatum, iisque utentur, fruunturque æquè liberè ac iis sub initium ultimi Belli, vel quo tempore uni alterive Parti adherere ceperunt, gavisi, & frui fuerunt, non obstantibus Confiscationibus, Arrestis & Sententiis sub Bello factis, latis, aut publicatis, quæ pro nullis, & ceu non factis habeantur. Insuper virtute ejusdem Amnestiæ, & Abolitionis omnibus & singulis Subditis, qui unam alteramve Partem secuti sunt, fas, liberumque esto, Patriam suam repetere, bonisque suis uti, frui, planè ac si bellum nullum intervenisset, datâ eis omnimodâ facultate, dicta bona sua sive per se, si iis præsentés sint; sive per Procuratores, si abesse à Patria maluerint, administrandi, eaque vendendi, aut de illis quocumque alio modo pro lubitu suo disponendi, ad eum omninò modum, quo ante cœptum bellum de iis disponere valuerunt: Dignitates quoque Subditis durante Bello hinc inde collatæ iis pariter deinceps integrè permanento, mutuoque agnoscantur.

Art. X.

Ad complanandas eas, quæ ratione Titulorum adhuc motæ sunt, controversias, placuit, ut Sacra Cæsarea Catholica Majestas CAROLUS VI. Romanorum Imperator, & Sacra Regia Catholica Majestas Hispaniarum & Indiarum Rex PHILIPPUS V. Titulis utrinque assumptis impostero vitâ utrius-

utriusque Eorum durante utantur; Hæredes verò, & Eorum Successores Titulos, duntaxat eorum Regnorum, & Provinciarum, in quorum Possessione sunt, assumant, alii verò abstineant.

Art. XI.

Dux Parmæ conservetur, & manuteneatur in Possessione omnium suorum Statuum, Jurium, & Actionum eo modo, quo tempore Signaturæ Tractatus Quadruplicis Fœderis fuit; Quæ verò cum finitimis Sux Majestatis Cæsareæ Provinciis subvertunt controversiæ, eæ per arbitros ab utraque parte eligendos amicabiliter decidentur.

Art. XII.

Sua Majestas Cæsareæ adpromittit, ordinem Succedendi in Regno Hispaniæ receptum, atque per Tractatum Trajectensem, per Renunciationes, item vi Quadruplicis Fœderis subsecutas, nec non per præfens Pacis Instrumentum confirmatum, tueri se, Guarantiamque desuper præstare, & quoties opus, manutenere velle; vicissim Rex Hispaniæ tueri, & garantigiare quoque spondet, eum Succedendi ordinem, quem Sua Majestas Cæsareæ ad mentem Majorum suorum in Serenissima sua Domo ex Pactis ejusdem antiquis, in forma Perpetui, Indivisibilis, ac Inseparabilis Fidei-Commissi Primogenituræ affecti pro universis Sux Majestatis utriusque sexus Hæredibus, & Successoribus declaravit, & stabilivit, quique subinde ab Ordinibus, & Statibus universorum Regnorum, Archiducatum, Ducatum, Principatum, Provinciarum, ac Ditionum, ad Serenissimam Dommum Austriacam jure Hæreditario spectantium, communi omnium voto susceptus, ac grato, submissoque animo agnitus, atque in vim Legis, Sanctionisque Pragmaticæ perpetuò valituræ in publica monumenta relatus fuit.

Art. XIII.

Super Dotibus, Serenissimarum Infantum MARIE, & MARGARITHE, Romanorum

Imperatricum, ita conventum est, ut constituta pro illis Hypotheca, Urbes videlicet, Oppida, & Terræ, ex quibus fructus, seu usuræ annuæ pro ratione sortis stipulata percipiebantur, restituantur, vel loco istarum Dotium, & Hypothecæ fors ipsa in ære parato semel pro semper unâ cum fructibus tam antè obitum Regis CAROLI II. quam post acceptatum Tractatum Londinensem ex iis perceptis Sux Majestati Cæsareæ persolvantur.

Art. XIV.

Super Debitis hinc inde contractis ita convenit, ut quemadmodum Sua Majestas Cæsareæ Catholica Debita in Catalaunia à se, vel ejus Nomine contracta, exsolvit, & quæ adhuc liquidò extant, persolvenda in se recipit; ita quoque Debita à Ministris Serenissimi Hispaniarum Regis PHILIPPI V. nomine Sux Majestatis in Belgio, Mediolani, Neapolis, & in Sicilia contracta, Sua Majestas Regia exsolvet, vel Creditores contentos reddet. Quem in finem Commissarii ad separanda, liquidandaque dicta Debita intrâ bimestre à subscripta Pace ab utraque Parte constituentur.

Art. XV.

Cùm etiam super Restitutione Palatiorum Romæ, Viennæ, & Hagæ-Comitis existentium variè actum sit, tandem super iis ita transactum fuit, ut Palatium Hagæ-Comitis extans cum Viennenli compensetur. Pro Palatio Romano verò Rex Catholicus Imperatori dimidium ejusdem pretium, seu valorem exsolvat.

Art. XVI.

Sub hoc præfenti Pacis Tractatu comprehenduntur illi, qui intrâ unius anni spatium ab una, alteraque Parte, ex communi consensu nominabuntur.

Art. XVII.

Pacem hoc modo conclusam promittunt Com-

Commissarii Cæsarei, & Regius Legatus, Plenipotentiarii ab Imperatore, & Rege Catholico, ad formam hinc mutuò placitam ratihabitum, & Ratificationum Instrumenta intrà bimestre spatium, aut citiùs si fieri possit, hinc reciproce commutatum iri.

Art. XVIII.

Porrò cùm Renunciationes hinc inde factæ, de quibus supra frequentior mentio facta est, partem istius Tractatus inter cæteras præcipuam, integramque efficiant, quantumvis eæ, utpote in solenni forma utrinque ratihabitæ plenum robur, vigoremque suum jamjam obtineant, attamen eas majoris confirmationis gratiâ huic Tractatui annectere placuit.

NOS CAROLUS Sextus
 Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæque Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundia, Brabantia, Mediolani, Mantuæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolia, Limburgi, Lucemburgi, Geldriæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ & Württembergæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, Moraviæ, Superioris & Inferioris Lusatiæ, Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ, & Namurci, Landgravius Alsatia, Dominus Marchiæ Slavonia, Portus Naonis & Salinarum, &c. &c. Notum facimus omnibus præsentibus & futuris. Postquam post immatura fata Serenissimi olim & Potentissimi Principis Caroli II. Hispaniarum & Indiarum Regis recol. mem. ob causam Successionis in sua Regna, durum, diuturnumque Bellum ortum sit, quod universam penè Europam diu, sedeque afflixit,

neque componendis litigiis, ii, qui Trajecti ad Rhenum, Badaque Helvetiorum celebrati fuere conventus, adeò ex integro suffecerint, quin recens in Italia Bellum eruperit, Divinâ bonitate factum esse, ut collatis amicis consiliis, reque mature deliberatâ, ac discussâ, die secundâ Mensis Augusti hujus Anni 1718. Londini Nos inter, & Serenissimum ac Potentissimum Gallia Regem Ludovicum XV. sub Tutela Serenissimi Principis Philippi Ducis Aurelianensis, Regni Gallia pro tempore Regentis agentem: nec non Serenissimum ac Potentissimum Magnæ Britannia Regem Georgium, Ducem Brunsvico-Luneburgensem, Sacri Romani Imperii Electorem, certi Pacificationis, Fœderumque Articuli conclusi, signatiq; fuerint, eo unice collimantes, quò alma Pax inter Principes, quibus ea jam constat, magis semperque magis firmetur, inter eos verò qui adhuc dissident, quantocys revocetur, ac reflorescat, atque a leò hoc tantùm Pacis beneficium, sublatis è medio simultatibus, universæ Europæ commune tandem reddatur, ad assequendum verò tam salutarem scopum haud alia certior via visa sit, quam per ipsos hosce Tractatus ad mentem, & normam præcedentium separationem perpetuam Coronarum Gallia, & Hispania, itidem separationem perpetuam Hispaniarum & Indiarum à Statibus, quos nunc possidemus, & vi Tractatus possidere debemus, denuò immutabili Lege (cui salus totius Europæ innixa est) stabilire, atque ut stato inter Europæ Principes virium æquilibrio, justaque commensuratione unio plurium Coronarum in unum idemque Caput ac Lineam avertatur, providere alia commoda, & emolumenta Nobis, ac iis Principibus, qui istius Pacificationis, Fœderumque

B

que Socii sunt, aut iis accedere vellent, asserere, prout latius in dictis conventionum Articulis continetur.

Cum verò istorum Tractatum partem constituat Renunciatio in Regna Hispaniarum, & Indiarum à Nobis facienda. Quòd Nos ob insitum Nobis Pacis studium, atque in salutem, tranquillitatemque publicam, amorem omni alià ratione potentiorum, utque omnem à Nobis sinistra suspitionis ansam removeremus, juribus Nostri in dicta Hispaniarum ac Indiarum Regna cedere decreverimus, dictum Tractatum Londini per Plenipotentarios Nostros subscribi mandaverimus; scilicet statum Europæ luctuosissimum, impendentemque tot Populis, & Nationibus, nò votis amicorum Principum cederemus, stragem commiserati, commoti quoque iis, quæ in præfato Tractatu continentur, emolumentis, in hanc Regnorum Hispaniarum & Indiarum cessionem, & abdicationem devenimus, præsertim, quòd per illam ea quoque Renunciatio, quam Serenissimus & Potentissimus Princeps Philippus Quintus Hispaniarum & Indiarum Rex in Regnum & Coronam Galliæ pro se, suisque Posteris sub 5. Novembris Anno 1712. in favorem Serenissimi Ducis Aurelianensis fecit, atque in Hispania in legem abiit, nostraque ceu conditioni innixa est, plenum suum vigorem, & effectum sortiatur, pariterque per eam illæ Renuntiationes, quas Serenissimus Dux Bituricensis 24. Die Mensis Novembris Anno 1712. Marly, & præfatus Serenissimus Dux Aurelianensis die 19. ejusdem Mensis & Anni Parisiis fecerunt, & per Tractatus Trajectenses 11. die Mensis Aprilis Anno 1713. confirmata fuere, convalidentur, atque adeo perpetuâ & im-

mutabili jam Lege statutum, sancitumque permaneat, quòd nullo unquam tempore Monarchia Galliæ, & Hispania, in unam eandemque Personam, nec in unam eandemque Lineam coalescere valeant.

His igitur tantis rationum momentis inducti, nevé optatissimam Pacem universalem, quietemque Europæ, quæ in bina ista Renuntiatione consistere censeatur, diutius remoraremur, animo deliberato ac maturo consilio, vigore præsentium cedimus, abdicamus, & renunciamus pro Nobis, Hæredibus, Descendentibus, & Successoribus nostris Maribus & Feminis, omnibus Rationibus, Juribus, Actionibus, & Prætensionibus, quæ Nobis in Regna Hispaniarum & Indiarum, Ditionesque Coronæ Hispanicæ per Tractatus Trajectenses, & per hos præfatos Hispaniarum & Indiarum Regi concessas, competunt, aut competere possent, idque omne jus Nostrum in modò dictum Serenissimum Principem Philippum Hispaniarum ac Indiarum Regem, ejusque Posteris, Hæredes, ac Successores, Mares & Feminas, his verò quomodocumque deficientibus in Domum Sabaudicam juxta præfati Tractatus tenorem, ac in eo statutum succedendi ordinem, videlicet in Serenissimum modernum Sardinia Regem, Ducem Sabaudia, Pedemontii Principem, Victorem Amadeum, ejusque Filios, & Descendentes Masculos ex legitimo Matrimonio natos: & deficiente ejus progenie Masculinâ, in Principem Amadeum à Carignano, ejusque Filios, & Descendentes Masculos ex legitimo Matrimonio procreatos: & deficiente quoque hujus progenie Masculinâ, in Principem Emanuelen de Sabaudia, ejusque Filios, & Descendentes Masculos ex legitimo Matrimonio natos: iisque

ii:que deficientibus in Principem Eugenium à Sabaudia, ejusque Filios, & Descendentes Masculos ex legitimo Matrimonio natos, ceu ab Infante Catharina Regis Philippi II. Filia oriundos, ex certa scientia spontè, libereque harum vigore transferimus, & abdicamus, renunciantes pro Nobis, Nostris Hæredibus, Descendentibus, & Successoribus Nostris omnibus rationibus, & juribus, quæ Nobis aut Iphis in dicta Regna quomodocunque, sive jure Sanguinis, sive ex Pactis antiquis, & Legibus Regni competunt, aut competere quacunque ratione possent.

Confirmamus, approbamusque istam à Nobis factam Renunciationem Regnorum Hispaniarum ac Indiarum, volentes, ac statuentes, eam habere vim Legis publicæ, & Sanctionis Pragmaticæ, & ut ita ab omnibus Regnorum Nostrorum, & Provinciarum Subditis recipiatur, executioni-que mandetur, non obstantibus quibuscunque Legibus, Sanctionibus, Pactis, & Consuetudinibus in contrarium facientibus, quibus omnibus, quantum ad hunc actum expressè derogamus, suppletes omnes, si qui forent, defectus juris & facti, styli, & observantia, Renunciantes quoque omnibus beneficiis Juris, in specie Restitutionis in integrum, prout & exceptionibus quibuscunque excogitabilibus etiam lesionis enormis, & enormissimæ, cui & quibus omnibus deliberatè, spontè, & ex certa scientia renunciamus, easque pro rejectis, nullis, renunciatisque haberi volumus, serio, sancteque spondentes, Nos sæpèfatum Principem modernum Hispaniarum & Indiarum Regem, ejusque Posteros, Hæredes, & Successores in tranquilla & pacifica possessione dictorum Regnorum esse permissuros, neque eos vi hujus Renunciationis ullo un-

quam tempore sive armis, sive alio quocunque modo esse turbaturos, aut molestaturos, quin Bellum, quod Iphis pro revindicandis dictis Regnis à Nobis aut Successoribus Nostris inferretur, vel ex nunc illicitum & injustum, bellum econtra quod Nobis ab Iphis, aut Iphis deficientibus ab iis, qui in istam Regnorum Successionem vocati sunt, defendendi sui causâ inferretur, licitum ac justum pronunciamus. Quòd si fortè ad hunc Renunciationis Nostræ Actum aliquid amplius desideraretur, id omne ex præcitato Tractatu Londini novissimè inito, qui unica basis, regula, ac norma hujus Nostræ Renunciationis est, ac per omnia esse debet, suppleri, ac pro suppleto haberi volumus. Verbo Nostro Casareo-Regio atque Archiducali promittentes, ea omnia, quæ in hocce Successionis, Abdicationis, & Renunciationis Instrumento continentur, Sanctè, Religioseque observaturos cum Nos, tum à Nostris Posteris, & Successoribus, Subditisque Nostris esse curaturos observari. In cujus rei fidem, vim, majusque robur, hunc Cessionis, Abdicationis, & Renunciationis Actum juramento Corporali, à quo absolutionem nec petimus nos unquam, nec ab alio forte petitam, aut etiam ultrò oblatam admittemus, tactis SS. Evangeliiis in præsentia Testium infra scriptorum firmavimus, præsensque Renunciationis Instrumentum manu propriâ subscriptum Casareo-Regio & Archiducali Sigillo munitum, ad manus Præfati Serenissimi & Potentissimi Magnæ Britannia Regis deposuimus, Serenissimo ac Potentissimo Hispaniarum Regi tempore & modo ipso Tractatu præscriptis, extradendum. Acta hæc sunt Viennæ die 16. Septembris Anno 1718. Regnorum Nostrorum

rum Romani Septimo, Hispaniarum Decimo Sexto, Hungarici vero & Bohemici Octavo.

CAROLUS.

Præsentès fuere Cellissimus Dominus Johannes Leopoldus Sacri Romani Imperii Princeps Trauthson, Comes de Falkenstein, Liber Baro in Sprechen & Schrottenstein, Dominus in Martiniz, Kraylowiz, Tschachtiz, Krzysaudou, Hammerstatt, Geblou, Zahradka, Neuschlos, & Bohemo-Rudolez, Goldegg, Pielhag, Friefing, & Oppidi Aggsbach ad Danubium, Præfectus Aulae Hæreditarius inferioris Austriae, & Hæreditarius Marefchallus Comitatus Tyrolensis, Eques Aurei Velleris, & Sacrae Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarius Intimus Actualis.

Excellentissimus & Illustrissimus Dominus Philippus Ludovicus Sacri Romani Imperii Hæreditarius Thesaurarius Comes à Sinzendorff, Liber Baro in Ernstbrunn, Dominus in Gföll, Superioris Selowiz, &c. Burggravius in Rheinegg, Supremus Hæreditarius Scutifer, ac Præcisor in Superiori & Inferiori Austria, Hæreditarius Pincerna in Austria ad Anasum, aurei Velleris Eques, Sacrae Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Camerarius, Actualis Consiliarius Intimus, & Aulae Cæsareæ Cancellarius.

Excellentissimus & Illustrissimus Dominus Gundaccarus Thomas, Sac. Rom. Imperii Comes de Starhenberg in Schaumburg & Wäxenberg, Dominus Ditionum Eschelberg, Liechtenhaag, Rottenegg, Freystatt, Haus, Ober-Wallsee, Senftenberg, Bottenдорff, & Hattwan, aurei Velleris Eques, Sac. Cæs. Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarius Intimus Actualis, &c. Archiducatus Austriae Superioris & Inferioris Marefchallus Hæreditarius.

Reverendissimus Don Franciscus Antonius Folch, de Cardona, Archi-Episcopus Valentinus, Consiliarius actualis Status Sacrae Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis, & Supremi Hispaniarum Consilii Præses.

Excellentissimus item & Illustrissimus Dominus Rochus Comes Stella, Sacrae Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Status, supremique Hispaniarum Consilii Consiliarius.

Et quia Ego infrascriptus Sacrae Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarius Aulicus, Secretarius Status & Referendarius, auctoritate Cæsareâ atque Archiducali ad hunc Actum creatus Notarius Publicus omnia hæc fieri Præsens audivi, & vidi; Ideo in fidem veritatis nomen meum subscripsi, & Sigillum meum apposui. Anno & Die ut supra.

(L.S.) Joannes Georgius Buol,
S. R. I. E.

NOS PHILIPPUS DEI

gratiâ Rex Castiliae, Legionis, Arragonia, utriusque Siciliae, Hierosolymæ, Navarrae, Granatae, Toleti, Valentia, Galliciae, Majoricae, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsica, Murcia, Gienna, Algarbia, Algezira, Gibraltaria, Canariarum, Indiarum Orientalium & Occidentalium, Insularum & Continentis Maris Oceani, Archi-Dux Austria, Dux Burgundia, Brabantia, & Mediolani, Comes Habspurgi, Flandria, Tyrolis, & Barcellona, Dominus Biscaya & Molina, &c. Notum facimus omnibus præsentibus & futuris. Postquam post immatura fata Serenissimi olim & Potentissimi Principis Caroli II. Hispaniarum & Indiarum Regis recol. mem. ob causam Successionis in sua Regna, durum, diuturnumque bellum ortum sit, quod universam penè Europam diu, fædeque afflixit, neque componendis litigiis, ii, qui Trajecti ad Rhenum, Padæque Helvetiorum celebrati fuere conventus, adeo ex integro suffecerint, quin recens in Italia bellum eruperit, Divinâ bonitate factum esse, ut collatis amicis

*cis consiliis, reque mature deliberata ac
 discussa, Die secundâ Mensis Augusti Anni
 1718. Londini inter Serenissimum ac Po-
 tentissimum Gallia Regem Ludovicum XV.
 sub Tutela Serenissimi Principis Philippi
 Ducis Aurelianensis, Regni Gallia pro tem-
 pore Regentis agentem, nec non Serenissi-
 mum ac Potentissimum Magnæ Britannia
 Regem Georgium, Ducem Brunsvici Lune-
 burghensem, Sac. Rom. Imperii Electorem,
 certi Pacificationis, Fœderumque Articuli
 conclusi, signatiq̄ue fuerunt, eo unice colli-
 mantes, quò alma Pax inter Principes,
 quibus ea jam constat, magis, semperq̄ue
 magis firmetur, inter eos verò, qui adhuc
 dissident, quantoq̄ue revocetur, ac reflore-
 scat, atque adeò hoc tantum Pacis benefi-
 cium, sublatis è medio simultatibus, uni-
 versa Europæ commune tandem reddatur:
 ad assequendum verò tam salutarem sco-
 pum haud alia certior via visa sit, quam
 per ipsos hosce Tractatus ad mentem, & nor-
 mam præcedentium separationem perpe-
 tuam Coronarum Hispaniæ & Gallia, de-
 nuò immutabili lege (cui salus totius Eu-
 ropæ innixa est) stabilire, atque ut stato
 inter Europæ Principes virium æquilibrio,
 justaq̄ue commensuratione unio plurium
 Coronarum in unum idemq̄ue Caput ac Li-
 neam avertatur, providere, aliaq̄ue com-
 moda, & emolumenta Nobis, ac iis Princi-
 pibus, qui istius Pacificationis, Fœderumq̄ue
 focii sunt, aut iis accesserunt, asserere,
 prout latius in dictis conventionum Arti-
 culis continetur.*

*Cum verò istorum Tractatumum par-
 tem constituat renunciatio in Regna, Di-
 tiones, & Provincias, quæ, vel quas Sua
 Majestas Casarea in Italia, & in Belgio jam
 possidet; aut ei vigore præsentis Tractatus*

*obvenient, abdicatioque universorum Ju-
 rium, Regnorum, & Provinciarum in Ita-
 lia, quæ olim ad Monarchiam Hispanicam
 pertinuerunt, à Nobis facienda.*

*Quod Nos ob insitum Nobis Pacis
 studium, atque in salutem, tranquillitatem-
 que publicam, amorem omni aliâ ratione
 potentiorum, atq̄ue omnem à Nobis sini-
 stræ suspicionis ansam removeremus, Juri-
 bus nostris in dicta Regna, Ditiones, &
 Provincias cedere decrevimus, dictumq̄ue
 Tractatum die 26. Januarii nuperi Ma-
 driti cum ipsi acceptaverimus, tum à Ple-
 nipotentiario Nostro Haga- Comitum sub-
 scribi mandaverimus, quod & Die decimâ
 septimâ Februarii proximè elapsi solemniter
 factum fuit, scilicet statum Europæ lu-
 ctuosissimum, impendentemq̄ue tot Populû,
 & Nationibus, nâ votis amicorum Princi-
 pum cederimus, stragem commiserati, com-
 moti quoque iis, quæ in præfato Tractatu
 continentur, emolumentis, in hanc Regno-
 rum, Ditionum, Provinciarum, & Jurium
 cessionem, & abdicationem devenimus,
 præsertim, quod per Casaris in Hispania-
 rum, Indiarumq̄ue Regna renunciacionem
 jam ea quoque renunciatio, quam Nos in
 Regnum & Coronam Gallia pro Nobis, no-
 strisq̄ue posteris sub quinta Novembris An-
 no millesimò septingentesimò duodecimò in
 favorem Serenissimi Ducis Aurelianensis
 fecimus, atque in Hispania in Legem abiit,
 Renunciacioniq̄ue Suae Casaræ Majestatis
 cen conditioni innixa est, plenum suum
 vigorem, & effectum sortiatur, pariterq̄ue
 per eam illæ Renunciaciones, quas Serenissi-
 mus olim Dux Bituricensis vigesimâ quartâ
 die Mensis Novembris Anno millesimo
 septingentesimo duodecimo, Marlii, & præ-
 fatus Serenissimus Dux Aurelianensis die*

decimâ nonâ ejusdem Mensis & Anni Parisiis fecerunt, & per Tractatus Trajectenses undecimâ Die Mensis Aprilis Anno millesimo septingentesimo decimo tertio confirmata fuere, convalidentur, atque adeo perpetua, & immutabili jam lege statutum, sancitumque permaneat, quod nullo unquam tempore Monarchiâ Galliæ, & Hispaniæ, in unam eandemque Lineam coalescere valeant.

His igitur tantis rationum momentis inducti, nevé optatissimam Pacem universalem, quietemque Europæ, qua in bina ista Renunciatione consistere censetur, diutius remoremur, animo deliberato, ac maturo consilio, vigore presentium cedimus, abdicamus, & renunciamus pro Nobis, Successoribus, Descendentibus & Posteris Nostris, Maribus & Feminis, omnibus rationibus, Juribus, Actionibus, & Præfensionibus, qua Nobis in suprafata Regna, Ditiones, ac Provincias à Sua Majestate Casarea in Italia, & Belgio in præsens possessa, & vi præfati Tractatus possidenda competunt, aut competere possent, qua inter, præter Marchionatum Finaliensem à Sua Majestate Casarea Reipublica Genuensi Anno Millesimo Septingentesimo decimo tertio cessum, disertè quoque Regna Sicilia, atque Sardinia juxta leges in Tractatu expressas comprehensa intelliguntur, videlicet, ut Regnum & Insula Sicilia apud Suam Majestatem Casaream, ejusque Hæredes, Successores, ac Posteris perpetuis futuris temporibus sublato penitus omni Jure Reversionis ad Coronam Hispaniæ remanere: Regnum & Insula verò Sardinia ab eadem, mox ab occupatione in Regem Sardinia, Ducem Sabaudia retrocedi, & tradi, reservato in illud, quando Posteritas, atque Agnatio mox

dicti Serenissimi Sardinia Regis deficere aliquando contingeret, ad Coronam Hispaniæ Reversionis Jure, debeat: Idque omne Jus Nostrum ad prædicta Regna, Ditiones, & Provincias olim ad Monarchiam Hispanicam pertinentia, nunc verò à Sua Majestate Casarea possessa, & possidenda, in modo dictam Suam Majestatem Casaream, ejusque Hæredes, Successores, ac Posteris, Mares & Feminas, ex certa scientia, spontè, libereque harum vigore transferimus, & abdicamus, Renunciantes pro Nobis, Nostrisque Hæredibus, Descendentibus, & Successoribus Nostris, omnibus rationibus, & Juribus Nobis, aut ipsis in dicta Regna, Ditiones, & Provincias quomodocunque, sive Jure Sanguinis, sive ex Pactis antiquis, & Legibus Regni competunt, aut competere quacunque ratione possent.

Confirmamus, approbamusque istam à Nobis factam Renunciationem Regnorum, Insularum, Ditionum, ac Provinciarum in Italia, & Belgio sitarum, volentes ac statuentes, Renunciationem istam habere vim Legis publicæ, & Sanctionis Pragmaticæ, & ut ita ab omnibus Regnorum Nostrorum & Provinciarum Subditis, & speciatim ab Ordinibus Regni, quos vulgò las Cortes appellant, recipiatur, Executionique mandetur, non obstantibus quibuscunque Legibus, Sanctionibus, Pactis & Consuetudinibus in contrarium facientibus, quibus omnibus, quantum ad hunc actum expressè derogamus, suppletes omnes, si qui forent, defectus Juris, & Facti, Styli, & Observantiæ, renunciantes quoque omnibus beneficiis Juris, in specie Restitutioni in integrum, prout & exceptionibus quibuscunque excogitabilibus, etiam læsionis enormis, & enormissima, cui & qui-

quibus omnibus deliberatè, spontè & ex certa scientia renunciamus, easque pro rejectis, nullis, renunciatisque habere volumus, serio, sanctèque spondentes, nos *Suam Majestatem Casaream*, ejusque Posteris, Hæredes, ac Successores utriusque Sexûs in tranquilla & pacifica possessione Regnorum, Principatuum, Ditionum, ac Provinciarum, quæ olim ad Coronam Hispaniæ pertinuerunt, atque à Sua Majestate Casarea actum jam possidentur, vel quæ, & quas vi Tractatûs ei cessimus, aut cedere debemus, esse permissuros, neque eos vi hujus renunciationis ullo unquam tempore, sive armis, sive alio quocunque modo esse turbaturos, aut molestaturos, quin bellum, quod ipsis pro revindicandis dictis Regnis, Ditionibus, ac Provinciis à Nobis, aut Successoribus Nostris inferretur, vel ex nunc illicitum, & injustum, bellum econtra, quod Nobis ab ipsis, aut ipsis deficientibus ab iis, qui in istam Regnorum, Ditionum, ac Provinciarum Successionem vocati sunt, defendendi sui causâ inferretur, licitum ac justum pronunciamus. Quod si fortè ad hunc renunciationis Nostræ actum, aliquid amplius quàm hic expressum est, desideraretur, id omne ex præcitato Tractatu Londini inito, qui unica basis, regula, ac norma hujus Nostræ Renunciationis est, ac per omnia esse debet, suppleri, ac pro suppleto haberi volumus, Verbo Nostrò Regio promittentes ea omnia, quæ in hocce cessionis Instrumento continentur, sanctè, religioseque observaturos, tum à Nostris Posteris, & Successoribus, Subditisque Nostris esse curaturos observari.

In cujus fidem, vim, majusque robur, hunc Cessionis, & Renunciationis Actum fieri mandavimus, Juramento Cor-

porali, tactis Sanctis Evangeliiis, interposito, à quo absolutionem nec petemus Nos unquam, neque ab alio fortè petitam, aut etiam ultro oblatam admitemus. Præsensque Renunciationis Instrumentum manu propria subscripsimus, coram infrascripto Nostrò Statûs Secretario, & ad hunc actum autoritate Regiâ Notario-Publico creato, Regioque Nostrò Sigillo munivimus, in præsentia Testium, scilicet: D. Caroli de Borza & Zentellas, Indiarum Patriarchæ, magnique Nostrî Capellani & Elemosinarii. D. Restayni Cantelmi Ducis de Populi, Velleris aurei insignis Ordinis, nec non Sancti Spiritûs Equitis, nostrorumque Exercituum Generalis, ac Regiæ Militiæ vulgò Guardias de Corps Præfecti. D. Alvari Bazan & Benavides, Marchionis Sanctæ Crucis, Regiæ Nostræ Camerae intimi Cubicularii, ac Serenissimæ Regiæ Domûs Moderatoris. D. Ildefonsi Manrique Ducis del Arco pariter Regiæ Nostræ Camerae intimi Cubicularii, ac magni Venatoris. D. Victoris Amadei Ferreri Fiescij Principis de Masserano, insignis Aurei Velleris Ordinis Equitis, Regiæ Nostræ Camerae Intimi Cubicularii, ac nostrorum Exercituum Generalis locumtenentis. Hoc cum altero parili Renunciationis Instrumento Sæ Casaræ Majestatis commutandum est. Datum in Monasterio Regio Sancti Laurentii die vigesima secunda Junii Anno millesimo septingentesimo vigesimo.

(L.S.) PHILIPPUS R.

Ego J. seph de Grimaldo, Marchio de Grimaldo, Ordinis Sancti Jacobi Eques, Rivera & Anechal in dicto Ordine Commendatarius, Regiæ Camerae Intimus Cubicularius, Primus Statûs Secretarius, ac uni-

ver-

versalis Speditionis, nec non Referendarius ac Notarius Publicus, præsens fui Signaturæ hujus Instrumenti, & omnibus, quæ in eo expressa sunt. In quorum fidem meo proprio nomine subscripsi, in Monasterio Regio Sancti Laurentii Die vigesimâ secundâ Mensis Junii Anno millesimo septingentesimo vigesimo. Joseph de Grimaldo.

Art. XIX.

In quorum fidem, roburque, tam Cæsarei Commissarii, quam Regius Legatus, Plenipotentiarii Tabulas has propriis manibus subscripserunt, & sigillis suis muniverunt. Acta hæc sunt Viennæ Austriæ Trigessimâ Die Mensis Aprilis Anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

(L.S.) Eugenius à Sabaudia.

(L.S.) J. G. Baro de Ripperda.

(L.S.) Philippus Ludovicus Comes à Sinzendorff.

(L.S.) Gundaccarus Comes à Starhenberg.

NB. *Cum Literæ Reversales, quæ supra in Articulo VII. à Duce Sabaudia nunc Rege Sardinia Regi Hispaniarum anno 1713., quo Regnum Sicilia illi cessit, supponebantur fuisse extradita, juxta testimonium Regis Catholici asserantur nunquam fuisse consecrata, nec etiam ullibi existere, hinc loco dictarum Reversalium præfatus Hispaniarum Rex sequentem Declarationem Suae Majestati Cæsareæ Catholica extradidit.*

PHILIPPUS DEI Gratia Castellæ, Legionis, Aragoniæ, utriusque Sicilia, Hierosolymarum, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentia, Galletiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ, Murcia, Giennæ, Algarbiæ, Algeciræ, Gibraltar, Insularum Canariæ, Indiarum Orientalium, & Occidentalium Insularum & Continentis, Maris Oceani, Rex: Archidux Austria, Dux Burgundiæ, Brabantia, & Mediolani, Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, & Barcinonis, Dominus Biscaja, & Molina, &c. &c. Cum per Articulum Septimum Tractatus Pacis, & Amicitia, inter Serenissimum, & Potentissimum Romanorum Imperatorem Dominum CAROLUM hujus Nominis Sextum, & Nos, paucis

abhinc diebus solenniter conclusi, per utriusque Partis Ministros Oratores, Legatos Extraordinarios, & Plenipotentiarios Viennæ in Austria die trigessimâ Aprilis Anno inferius notato, percussi, atque subscripti, & à Nobis novissimè die Vigessimâ quintâ Mensis Maji, in Regia Nostra Aranjuez dicta secundum ipsius Tenorem, & formam ex animi sententiâ acceptati, approbati, & ratihabiti; Enuncietur, proponatur, & asseratur, quod Nos Rex Catholicus, pro Nobis, Nostrisque in Regno Successoribus & Hæredibus, posteris item Nostris utriusque Sexus in perpetuum Juri Reversionis Regni Sicilia ad Coronam Hispaniæ, in Instrumento Cessionis de 10. Junii Anni 1713. ergà Regem Sardinia Nobis reservato, renunciamus, litterasque, ut

vocant, Reversales desuper confectas
 Suae Majestati Cæsareæ unà cum Instru-
 mento ratihabitionis istius Tractatûs
 bonâ fide extradituri, &c. Nobis pla-
 nè necesse visum est, his præsentibus
 notum facere, & aperire, sicut re-
 ipsâ notum facimus, aperimus, & de-
 claramus, asserimus, & asseveramus,
 quòd quamvis Nos, cum Serenissimo
 Principi Saubaudiaë Duci, nunc Sardi-
 niæ Regi Regnum Siciliaë cessimus, Jus
 ipsius Reversionis ad Coronam Hispa-
 niæ Nobis reservavimus, nihilominùs
 Litteras, ut vocant Reversales, desuper
 conficiendas, & expediendas, confe-
 ctas umquam, aut expeditas fuisse,
 prout in prædicto Articulo Septimo
 ponitur, asseritur; usque adhuc pœ-
 nitùs nescimus, & ignoramus, & si
 reapse confectæ, absolutæ, & expedi-
 tæ fuerunt, quod quidem prorsùs
 Nobis latet, nunquam nobis traditæ
 sunt, ipsasque nec accepimus in pote-
 state Nostra nec sunt, nec unquam
 fuerunt, quandoquidem vel etiam ea-
 rum notitia Nos fugit, & præterit;
 quapropter Traditionem per prædi-
 ctum Articulum Septimum conven-
 tam, quam ipsius rei promissæ defectus
 & inexistencia adimplere vetat, prout
 fas Nobis est, excusatam haberi à Sua
 Cæsarea Catholica Majestate ingenuè
 cupientes, quod in Nostra potestate
 est, sinceritas suggerit, candorque
 suadet, lubenter exequimur, & con-

tinuò perficimus, testificando, spon-
 dendo, & promittendo, quòd si quan-
 doque præfatas Reversales Litteras, &
 Reversionis Instrumenta confectas seu
 confecta, & absoluta fuisse constaret,
 & confecta reperiri, aut detegere eve-
 nerit, si Nobis insciis in nostra pote-
 state sint, bonâ fide abjectâ omni pro-
 crastinatione, restituemus, & extra-
 demus Suae Cæsareæ Catholicae Maje-
 stati, & si fortè in aliena, restitui, &
 extradi eidem Majestati, omnibus vi-
 ribus, & connatibus Nostri curabi-
 mus, & ex nunc ad majorem firmi-
 tatem præfatum, de quo agitur, In-
 strumentum annullantes, derogan-
 tes, & rescindentes, spondemus lu-
 benter, atque promittimus, Sacramen-
 tum facientes in verbo, & fide Re-
 gia cum pro Nobis tum pro Successo-
 ribus, Regnorum Nostrorum Hæredi-
 bus, id omne exequi, & perficere,
 atque adimplere, prout quomodocun-
 que Nostræ voluntati subjeat. In
 quorum fidem & validitatem præsen-
 tes Nostras Declarationis Litteras, ex-
 pediri mandavimus, manu Nostrâ sub-
 scriptas, Sigilli que Nostri Secreti ap-
 positione roboratas, & infra scripti Sta-
 tûs Secretarii Nostri refrendatas. Da-
 tum in Regia hac Nostra de Aranjuez
 nuncupata. Die Maji Vigesima quin-
 tâ Anno Millesimo septingentesimo
 vigesimo quinto.

(L.S.) PHILIPPUS R.

Joannes ab Qrendayn.

C

Tenor

Tenor Plenipotentiarum Cæsarearum.

NOS CAROLUS Sextus
 Divinâ favente Clementiâ Ele-
 ctus Romanorum Imperator sem-
 per Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum,
 utriusque Siciliæ, Hungariæ, Bohemiæ,
 Dalmatiæ, Croatia, Slavoniæque Rex, Ar-
 chidux Austria, Dux Burgundiæ, Bra-
 bantiæ, Mediolani, Mantuæ, Styriæ, Car-
 rinthiæ, Carnioliæ, Limburgi, Lucem-
 burgi, Geldriæ, ac Superioris & Inferio-
 ris Silesiæ, & Wirtembergæ, Princeps
 Sueviæ, Marchio Sacri Romani Imperii
 Burgoviæ, Moraviæ, Superioris & Infe-
 rioris Lusatiæ, Comes Habsburgi, Flan-
 driæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ,
 & Namurci, Landgravius Alsatia, Do-
 minus Marchiæ, Slavonia, Portus Naon-
 nis, & Salinarum, &c. &c. Notum, tes-
 tatumque facimus. Cum Serenissimo Hi-
 spaniarum Indiarumque Regi Catholico
 PHILIPPO V. visum sit, eos inter Nos
 utrosque adhuc pendentes Controversiarum
 Articulos, qui in Tractatu Londinensi de
 Anno 1718. ad peculiarem Congressum de-
 finiendi remissi fuerunt, hinc Viennæ mu-
 tuo inter Nos amicè componere, postquam
 super iis Cameraci loco ad istum Congres-
 sum subinde destinato sub Mediatione Se-
 renissimorum Galliæ & Magnæ Britanniæ
 Regum jam à triennio ab hinc & ultra
 magnis quidem, verum irritis, conatibus al-
 laboratum fuit; eumque in finem ad Nos
 Ministrum cum Legati Extraordinarii mu-
 nere, amploque mandato instructum Illu-
 stre & Magnificum Joannem Guiliel-
 mum Liberum Baronem à Ripperda, Do-
 minum de Jensema, Engelenburgh, Poel-
 geest, Koude-Kente & Ferwert, Judicem
 Hæreditarium de Humsterlant, & Campen

miserit, qui exhibitis Plenipotentia sua
 Literis ad aggrediendum, perficiendumque
 commissum sibi hocce negotium sufficienter
 munitus agnitus fuit; Quod Nos tam pio
 consolidandaque Univerſæ Europæ quietis
 proficuo Consilio accedentes, in comper-
 ta fide, prudentia, ac rerum gerendarum usum
 Illustrissimi Principis Eugenii à Saubaudia
 & Pedemontio, Nostri Consilarii Actualis
 Intimi, Consilii Aulico-Bellici Præsidis,
 Nostrique Locumtenentis Generalis, Sacri
 Rom. Imperii Campi-Marschalli, ac Nostro-
 rum Statuum per Italiam Vicarii Genera-
 lis, Aurei Velleris Equitis: Illustris item &
 Magnifici Philippi Ludovici Sac. Rom. Im-
 perii Thesaurarii hæreditarii Comitis a Sin-
 zendorff, Liberi Baronis in Ernsbrunn,
 Domini Dynastiæ Gföll, Superioris Se-
 loviz, Porliz, Sabor, Müllzig, Loos,
 Zaan, & Droskau, Burggravi in Reineck,
 Supremi hæreditarii Pincernæ in Austria ad
 Anasum, Aurei Velleris Equitis, Nostri
 Consilarii Actualis Intimi, ac Primi Au-
 læ Cancellarii: nec non Illustris & Magni-
 fici Gundaccari Thomæ Sac. Rom. Imperii
 Comitis de Starhenberg in Schaumburg &
 Waxenberg, Domini Ditionum Eschelberg,
 Liechtenhaag, Rottenegg, Freystatt, Haus
 Oberwalsée, Senfftenberg, Bodendorff,
 Hatwan, Aurei Velleris Equitis, Nostri
 Consilarii Intimi actualis, Archiducatus
 Austria Superioris & Inferioris Marschal-
 li Hæreditarii: plurimum confisi, Eos ad
 tractandum, concludendum & signan-
 dum Nostro Nomine cum præfato Regio
 Legato Extraordinario & Plenipotentiaro
 propositos Pacis Articulos, & si quæ alia
 fortè, ad quæ specialiori mandato opus
 esset, tractanda occurrerent, Commissario-
 Nos

Nostros, tanquam Legatos Nostros Extraordinarios nominaverimus, & constituerimus, prout eos vigore harum nominamus & constituimus: Dantes eis plenam & omnimodam potestatem, auctoritatem, & mandatum, hunc Tractatum, ejusque Conditiones & Articulos, & si qua alia tractanda viderentur, cum praefato Regio Legato Extraordinario Plenipotentiaro, tractandi, concludendi, & Signandi, desuper Instrumenta unum vel plura conficiendi, eaque omnia agendi & faciendi, qua Nos, si rem Ipsi tractaremus, agere, facereque possemus. Verbo Caesareo-Regio & Archiducali promittentes, Nos, qua per memoratos Nostros Commissarios tanquam Legatos Nostros Extraordinarios, & Plenipotentiaros, aut alterutris eorum absentibus vel impeditis, duos aut denique unum illorum ita acta conclusa & signata fuerint,

vata, grata, acceptaque habituros, Nostraque Ratificationum Instrumenta etiam jurata in tempore convento extradituros esse. In quorum fidem, majusque robur praesentes manu Nostrâ subscriptas Sigillo Nostrò appenso muniri jussimus. Datas ex Arce Nostra Laxemburgi Die 28. Mensis Aprilis Anno 1725. Regnorum Nostrorum Romani decimo quarto, Hispaniarum vigesimo secundo, Hungarici vero & Bohemici decimo quinto.

CAROLUS.

Joan. Frid. Com. à Seilern.

Ad Mandat. S. C. & Cath.
Majestatis proprium.

Joan. Georgius Buol, S. R. I. Eq.

Tenor Plenipotentiarum Hispanicarum.

DON FELIPE por la Gracia de Dios, Rey de Castilla, de Lion, de Aragon, de las dos Sicilias, de Jerusalem, de Navarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorca, de Sevilla, de Cerdeña, de Cordova, de Corcega, de Murcia, de Jaen, de los Algarbes, de Algezira, de Gibraltar, de las Islas de Canaria, de las Indias Orientales, y Occidentales, Islas, y Tierra firme del Mar Oceano, Archiduque de Austria, Duque de Borgoña, Brabante, y Milan, Conde de Abspurg, Flandes, Tirol, y Barcelona, Señor de Viscaya, y de Molina, &c. Por quanto, deseando dar à mis Pue-

blos y Vassallos el consuelo, y alivio de una Paz universal, he solicitado por medio del Congreso de Cambray, hazerla particularmente, con el muy Alto, y muy Poderoso Emperador de Alemania, y habiendo manifestado la experiencia de estos ultimos quatro años, quanto se dilata el logro de esta importancia, que siempre mas procuro, para mi mayor satisfaccion, valiendome de todos los medios posibles, y queriendo usar de aquel de embiar à la Corte de Viena, reservada y secretamente, una Persona de entera Confianza, que haga notorios al Emperador mis buenos de-

C 2

seos,

feos, y anelos de establecer la mas segura durable Paz entre mi Corona, y la de Su Magestad Imperial, y la mas estrecha amistad, y buena correspondencia entre ambos, como conviene, y es muy conforme à toda consideracion. Por las experiencias, y satisfaccion que tengo de vos Don Juan Guillermo Baron de Ripperda, Señor de Jensema, Engelenburg, Poelgeest, Koudekente, y Ferwert, Juez Hereditario de Humsterlant, y de Campen, he resuelto elegiros, y nombraros (como en virtud de la presente os nombro) paraque con el grado de mi Embaxador Extraordinario Plenipotenciario, paséis al referido importante fin, y al de hazer otros convenientes Tratados à la Corte de Viena, y os doy tan cumplido Poder, facultad, y authoridad, como es necesario, y conviene, paraque por mi, y en mi Nombre, y representando mi propia Persona, podais proponer, ofrezar, oyr, consentir, asentir, y capitular con el expreffado muy Alto, y muy Poderoso Emperador de Alemania, ô el Ministro, u Personas que nombrare, y os diputare para este efecto, todo lo que juzgareis preciso, y conveniente al referido importante fin, al de mi servicio, al bien de mis Reynos, y mayor seguridad, y permanencia de la Paz, que deseo, de la union, buena correspondencia, y alianza que solicito establecer entre ellos, y los de el Emperador: Y paraque en orden à esto podais hazer todo aquello que yo haria, y hazer podria, aunque sea de tal calidad que requiriese otro mas

espezial Poder, y comission, y obligarme à mi al cumplimiento de ello. Por tanto declaro, y doy mi fee, y palabra Real, que todo lo que fuere hecho, tratado, y concertado por vos el expreffado Don Juan Guillermo, Barone de Ripperda, con el referido Emperador de Alemania, ô el Ministro, u Personas que nombrare, desde ahora para entonzes, lo consento, y apruebo, y lo tengo, y tendré por bueno en todo tiempo, la forma en que lo concluyeredes, y me obligo à estar y passar por ello, como cosa hecha en mi Real Nombre, por mi Voluntad y Authoridad Real, y lo cumplire, puntual y exactamente: Y assi mismo me obligo à que dentro de el termino, que se señalare, segun se estila, aprobarè, y ratificarè en espezial forma, con las fuerzas, Juramentos, y requisitos necesarios, y acostumbrados, todo lo que en virtud de este Poder se concluyere, y asentare, general e individualmente, paraque sea valido, y establecido, ahora y en todo tiempo; y para firmeza de ello mandè despachar la presente, firmada de mi mano, sellada con el Sello secreto, y refrendada de mi infrascripto Secretario de Estado, y de el Despacho. Dada en Madrid à veinte y dos de Noviembre, de Mil setecientos y veinte y quatro.

YO EL REY.

Lugar del Sello.

D. Juan Baptista de Orendayn.

Rati-

Ratificatio Suae Sacrae Cæsareæ Catholicæ
Majestatis.

NOS CAROLUS Sextus
Divinâ favente Clementiâ
Electus Romanorum Impe-
rator, semper Augustus, ac Germa-
niæ, Hispaniarum, utriusque Siciliae,
Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croa-
tiæ, Sclavoniæque Rex, Archi-Dux
Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ,
Mediolani, Mantuæ, Styriæ, Carin-
thiæ, Carnioliæ, Limburgi, Lucem-
burgi, Geldriæ, ac Superioris & Infe-
rioris Silesiæ, & Würtembergæ, Prin-
ceps Sueviæ, Marchio Sacri Romani
Imperii Burgoviæ, Moraviæ, Superioris
& Inferioris Lusatiæ, Comes Hab-
spurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis,
Kyburgi, Goritiæ, & Namurci, Land-
gravius Alsatæ, Dominus Marchiæ
Slavoniæ, Portus Naonis & Salina-
rum, &c. &c. Notum facimus omni-
bus & singulis quorum interest, aut
interesse quomodolibet potest. Post-
quam Pace Universali per Conditiones
in Tractatu Londinensi die ^{2. Aug.}
_{23. Julii} Anni
1718. iis Principibus, quos inter tunc
Bellum adhuc perdurabat, propositas,
& ab iis successivè acceptatas in Or-
bem Christianum revocatâ, illi con-
troversiarum Articuli, qui Nos inter
& Serenissimum Potentissimumque
Principem PHILIPPUM V. Hispania-
rum ac Indiarum Regem Catholicum
peculiariter adhuc pendebant, in Con-
gressu Cameracensi sub Mediatione
Serenissimorum Potentissimorumque
Principum LUDOVICI XV. Gallia-

rum: & GEORGII I. Magnæ Britannia
Regum diù frustrâ tentati, annitente
modòfato Rege Catholico, hic Viennæ
per Legatos Extraordinarios ad id cum
plena potestate utrinque instructos die
30. Aprilis infrascripti Anni per Con-
ventionem particularem amicabiliter
transacti, atque in sequentes condi-
tiones conclusi ac signati fuerint.

Hic Loci insertus fuit Tractatus Pacis.

Quòd Nos hæc omnia & singula à
præfatis Nostriis Ministris acta, conclu-
sa & signata, utpotè voluntati, manda-
toque Nostro consona, præhabitâ ma-
turâ diligentique consideratione ex-
certâ Nostriâ scientiâ approbaverimus
& ratificaverimus, prout hiscè ea ap-
probamus, ratificamus, & confirma-
mus, rataque & firma esse & fore vir-
tute præsentium declaramus, verbo-
que Cæsareo Regio, atque Archiducali
pro Nobis, Nostriis Successoribus, &
Hæredibus promittimus & juramus
supràdescriptos Articulos, & quidquid
in hac Pacis particularis conventione
continetur, firmiter, constanter & in-
violabiliter servaturos, neque ut ab
ullo ex parte Nostra iis contravenia-
tur, unquam esse passuros. In quo-
rum omnium testimonium & fidem
Sigillum Nostri Cæsareum Regium,
atque Archiducale huic Diplomati
manu Nostriâ subscripto appendi feci-
mus. Datum ex Arce Nostra Laxen-
burgi die XVI. mensis Junii Anno Do-
mini millesimo septingentesimo vicesi-

mo quinto : Regnorum Nostrorum vigesimo secundo : Hungarici verò & Romani decimo quarto : Hispaniarum Bohemici decimo quinto.

CAROLUS.

Joan. Frid. Com. à Seilern.

Ad Mand. Sac. Cæs. & Cath.
Majestatis proprium.

Joan. Georgius Buol, S. R. I. Eq.

Ratificatio Suæ Majestatis Regiæ Catholicæ.

PHILIPPUS, DEI Gratiâ,
Castellæ, Legionis, Arragonia,
utriusque Sicilia, Hierosolyma-
rum, Navarra, Granata, Toleti, Valen-
tia, Galleciæ, Majoricæ, Hispalis, Sardi-
niæ, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennæ,
Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Insula-
rum Canariæ, Indiarum Orientalium, &
Occidentalium, Insularum, & Continentis
Maris Oceani, Rex. Archi-Dux Austriae,
Dux Burgundia, Brabantia, & Mediolani,
Comes Habsburgi, Flandria, Tyrolis, &
Barcinonis, Dominus Biscajæ & Molina, &c.
Quandoquidem in Urbe Viennensi Tracta-
tus Pacis, & Amicitia à Ministro Nostro
apud Cæsaream Majestatem Legato Extra-
ordinario & Plenipotentiarario, & ab ipsius
Cæsareæ Majestatis Ministris Plenipotentia-
riis, conventus, conclusus, & subscriptus
fuerit, cujus tenor ad pedem Litteræ infra
inseritur, & ut sequitur, est de Verbo ad
Verbum.

Hic loci fuit insertus Tractatus
Pacis.

Nos verò tam sinceram inter Nos & Se-


renissimum & Potentissimum Imperatorem
Pacis & Amicitia Conventionem consolida-
re, prædictisque omnibus & singulis in præ-
insertis Capitulis, sicut per dictos Oratores
Legatos Extraordinarios & Plenipotentia-
rios utriusque Partis, conventa, inita,
transacta, promissa & firmata sunt, robur
& munimen Nostræ Regalis Auctoritatis
adjicere cupientes, ea omnia & singula,
prout superius insertis Literis contenta per-
spicaciter intuentes, Nos ipsi firmiter in-
telligimus & comprehendimus, de Nostraque
certâ scientiâ, & voluntatis plenitudine,
maturâque & digestâ deliberatione pro No-
bis, Successoribus Nostris, sive Regnorum
Nostrorum Hæredibus natis, vel nascituris,
Regnis & Terris Subditis, Ditionibus, Domi-
niis & Adherentibus Nostris, ac omnibus
aliis, quorum interest, aut interesse poterit,
prout & quemadmodum superius inserta
sunt, laudamus, ratificamus, approbamus,
acceptamus, ac de novo, quatenus opus est,
per præsentis facimus & promittimus, ea-
que omnia prout de verbo ad verbum præ-
inserta manent, & à præfatis utriusque
Partis, nempe Nostræ, & prælibatæ Cæsareæ


Catholicae Majestatis Oratoribus Extraordinariis & Plenipotentiaris promissa, & subscripta fuerunt; semper & omni tempore custodire & custodiri, manutenere & manuteneri, ac inviolabiliter de puncto in punctum observare & observari facere, neque unquam per Nos vel alium, seu alios, publice, vel occultè, directè, aut indirectè, aut alio quovis modo, aliquà ratione, causâ vel occasione contra-facere aut venire pollicemur, promittimus, & juramus; & solemniter expromittimus & facimus Sacramentum in verbo & fide Regia; & si ab aliquo in supradicta omnia & præinserta; vel eorum singula imminutio, aut Pactorum diminutio, seu Contraventio, quomodocumque sit aut esse possit, temerè ageretur aut pareretur; is profectò audacia & inconsiderantia sua, penas luet, contraventumque imminutum, aut diminutum fedulo, & abjectâ omni cunctatione & procrastinatione restituere faciemus; pro quibus omnibus & eorum singulis, firmiter &

inviolabiliter tenendis & adimplendis obligamus, hypothecamus, & supponimus Regna & Bona Nostra ac Heredum Nostrorum quorumcunque, & ad ampliorem firmitatem & ratam hujus obligationis & approbationis auctoritatem, omnibus & singulis legibus, moribus, caterisque universis ipsi contrariis renuntiamus. In quorum omnium fidem, robur, & testimonium presentes Nostras Ratificationis & Approbationis Literas expediri mandavimus, manu Nostrâ subscriptas, Sigilli que Nostrî Secreti appositione roboratas, & infra scripti Secretarii Nostrî Statûs & universalis Expeditionis, vulgò, del Despacho dicti, refrendatas. Datum in Regiâ Nostrâ, Aranjuez nuncupata, die vigesimâ quintâ Maji, Anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

(L.S.) PHILIPPUS R.

Joannes ab Orendayn,





tionem, DEUS ob inscrutabilia Suae Al-
 dentiae iudicia percrevit,
 tot annis Europam vexavit,
 n, tam Nostri, quam Sere-
 nissimi Romanorum Impera-
 , ac Vasallos affixit, dum
 reciproci Commerctii usu & li-
 profectio ex praestantioribus
 actibus orbarit; inter Nos
 & Potentissimum Roma-
 natorem accensum fuisse, per-
 cōd cum denique DEO Pacem
 rruptam, inter Nos & jam
 caream Majestatem feliciter
 solide restabilitam fuisse pla-
 tile peculiarem Navigationis,
 rum Tractatum constituere
 r quod honorum communitio,
 otius ingenuae amicitiae pignus
 que magis firmetur, & stabi-
 cō via tam Nostri, quam Alte-
 Majestatis Subditi initium
 rfruentis Pacis aberrimis be-
 narent, & in hunc finem
 Plenipotentiarii, videlicet ex
 Dominus Joannes Guilielmus
 erda, Dominus de Jensema,
 Poelgeest, Kaudekente, &
 ex Haereditarius de Humster-
 en, ad tractandam, finiendam
 lam Pacem jam suprafatam,
 Die trigesimā Aprilis proximē
 subscripto, Nutu DEI conclu-
 ue ipsam spectans stipulandum,
 um, Minister Legatus Extra-
 & Plenipotentiarius a Nobis
 imum & Potentissimum Ro-
 operatorem constitutus: &
 e Majestatis Caesareae Euge-
 ae & Pedemontium Princeps
 Majestatis Caesareae Consilia-

rius Actualis Intimus, Consilii Aulico Bel-
 gici Praeses, suumque Locum Tenens Gene-
 ralis, Sacri Romani Imperii Campi Mare-
 schallus, ac ejusdem Statuum per Ita-
 liam Vicarius Generalis, Aurei Velleris
 Eques: nec non Philippus Ludovicus Sa-
 cri Romani Imperii Thesaurarius Heredi-
 tarius Comes à Sinzendorf, Liber Baro in
 Ernßbrunn, Dominus Dynastiaram Gföll,
 Superioris Seloviz, Porliz, Sabor, Mul-
 zig, Loos, Zaar, & Droskau, Burgravius
 in Reineck, Supremus Haereditarius Scuti-
 ferus ac Praecisor in Superiori & Inferiori
 Austria, Haereditarius Pincerna in Austria
 ad Anasam, Aurei Velleris Eques, Sacrae Ca-
 saeae Majestatis Camerarius, Actualis
 Consiliarius Intimus, ac Primus Aulae
 Cancellarius; ac Gundaccarus Thomas
 Sacri Romani Imperii Comes de Starhem-
 berg, in Schaumburg & Waxenberg, Do-
 minus Ditionum Eschelberg, Liechtenbaag,
 Rottenegg, Freystatt, Haus, Oberwalsee,
 Senfftenberg, Bottendorf, Hatwan, Aurei
 Velleris Eques, Sacrae Caesareae Majestatis
 Consiliarius Intimus, Actualis, Archi-
 Ducatus Austriae Superioris & Inferioris
 Mareschallus Haereditarius, quos ad eun-
 dem finem & in ipsa Civitate Viennensi sua
 ipsa Majestas Caesarea Plenipotentiarios de-
 signaverat, colloquium instituerent, uno
 denique animo atque consensu in sequen-
 tem Navigationis, & Commerciorum Tra-
 ctatum convenerunt, ipsumque subscripse-
 runt vigore Plenipotentiarium respectiva-
 rum, quae quidem prius commutata fue-
 runt, cujus Tractatus tenor, & forma est,
 ut sequitur de verbo ad verbum.

Hic loci fuit insertus Tractatus Na-
 vigationis & Commerciorum.

Nos verò tam sinceram inter Nos & Se-
 renissimum & Potentissimum Imperatorem
 & ultra

